

dictores eius excommunicationis vinculo innodantes. Et ne ista retractationis alicuius violentia possint in posterum infirmari, ad perpetuam constitutionis huius memoriam, sigilli nostri testimonium appendimus et munimen. Actum anno dominicae incarnationis M^o. CC^o. XLVI^o. VIII^o. Kalend. Julii pontificatus nostri anno VII^o.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an Fäden von blauem und weissem Zwirn.

No. 140. 1246.

Der Probst und der Convent des Augustiner-Chorherrenstifts auf dem Petersberge bei Halle nehmen aus Dankbarkeit für den ihnen freiwillig überlassenen Zehnten an der schwarzen Elster den Bischof und sämtliche Mitglieder des Capitels in ihre geistliche Brüderschaft auf.

H. dei gratia ecclesiae Montis Sereni praepositus cum omni fratrum suorum collegio deo et beato Petro ibidem famulante universis hanc litteram perlecturis orationes devotas in domino Jhesu Christo. Considerantes iustum esse et rationabile, ut opera karitatis fidelium devotione nobis impensa posteris quoque nostris profutura ipsorum notitiae transmittamus, praesenti scripto innotescimus universis, quod beatae memoriae dominus H. quondam Misnensis episcopus habito consilio et consensu suorum concanonicorum decimam novalium exstirpatorum seu exstirpandorum ad nigram Alestram ecclesiae nostrae pia liberalitate concessit perpetuo possidendam, sperans a deo et beato Petro se praemia aeterna recepturum. Cuius tam laudabili devotione successor eiusdem venerabilis dominus Conradus ecclesiae praedictae nunc episcopus considerata cum unanimi capituli sui consensu eandem oblationem auctoritatis suae privilegio confirmavit. Nos itaque tantorum beneficiorum non immemores omnium bonorum retributori gratias referentes orationes nostras praedictis canonicis et dominis Misnensibus libentissime studebimus impertiri, plenam cum ipsis fraternitatem et orationum communionem habere cupientes, quam apud nos promittimus perpetuo inviolabiliter observari. Modum autem fraternitatis inter nos et saepedictos canonicos institutae huic paginae placuit annotari. Cum ad nos obitus cuiusquam ipsorum pervenerit, compulsatis ex more campanis, per triginta dies vigiliis et defunctorum missas solemniter dicemus in communi, unusquisque sacerdotum tres missas specialiter dicet pro defunctis, reliqui nostri concanonicis singula psalteria decantabunt, laici fratres centies dicent singuli pater noster, sorores etiam apud nos conversae psalteria singula dicent. Ceterum in flagellis, elemosynis, vigiliis et ieiuniis plenam nos eisdem societatem promittimus exhibere, nomina quoque defunctorum canonicorum saepedictorum kalendario nostro inscribentur, ut anniversarius ipsorum apud nos annis singulis cum debita devotione sollempniter peragatur. Praebendam quoque a deo nobis collatam saepedictis dominis nostris et confratribus in ecclesia nostra liberaliter assignamus et in omnibus, quibus eorum possumus honestati deservire, praesenti scripto nos eisdem perpetuos constituimus debitores. Et ne in posterum haec tam rationabilis institutio ab aliquo temere valeat infirmari, hanc paginam sigillorum nostrorum praepositi videlicet et capituli appensione fecimus roborari. Actum in Sereno Monte anno dominicae incarnationis millesimo CC^o. XLVI^o.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Probsts und des Capitels an Pergamentstreifen.